

~~Sententia lata per Ducem Mediolani, &  
Senatum Secretum ad fauorem Ol-  
dradi Lampugnani, vt possit diri-  
gare prata sua quilibet dies,  
& hore ex aqua dicti  
fluminis Olonæ.~~



**I**ANNES GALEAZ MARIA SFORTIA  
VICECOMES DVX MEDIOLANI & C.  
Papia, Angleriq. Comes, ac Genuæ, & Cre-  
monæ Dominus. Proxima æstate iussimus  
quibuscunque nobilibus habentibus quouis  
modo iura, & priuilegia super flumine nostro  
Olonæ, vt ea omnia ad Senatum nostrum deferrēt,  
quo varia contentionum genera inter dictos nobiles tolle-  
rentur, & præsertim tempore æstatis ob siccitatem, & inter  
cæteros Generosus Eques Dominus Oldradus Lampugna-  
nus Camerarius noster dilectus, & fratres sui dicto nostro  
parentes iura sua antiquissima ad Senatum nostrum secre-  
tum detulerunt, suppliciter à nobis postulantes, vt intelle-  
cta veritate iurium suorum, quæ super dicto flumine Olo-  
næ pro irrigandis pratis suis habent, eam confirmationem,  
& opportunum priuilegium concedere vellemus, quod iura  
sua postularent, & eorum indemnitati prouidere, ne ex anti-  
quitate, magnoq; cumulo, & multitudine dictorum iurium  
suorum, vel aliquid deperderetur, vel in iacturam, & detri-  
mentum suum obliuioni mandaretur, vbi coram diuersis  
officialibus, vt fortè accidere posset, tot iura sua hac in re  
eos exhibere, & ostendere debere contingeret, cum priuile-  
gia sua tempore libertatis Mediol. seniori <sup>Illustri</sup> D. Oldra-  
do, quemadmodum aliàs fides facta extitit; direpta extite-  
runt: Quorum petitione, & precibus consideratis vnà cum  
eorum iuribus per Spectab. Iurisconsultos D. Io. Franciscū  
Malatestam, & D. Augustinum Panigarolam ex Senatoribus  
nostris, de Senatus mandato examinatis ipsis ambobus re-  
ferentibus, cum demum compertum extiterit præfatum D.  
Oldradum

Oldradum, & fratres, tum ex iurium suorum dispositione facultatem, beneficiumq; , ac commoditatem habere irrigandi prata sua ex aqua Olonæ, tum ex longa consuetudine, tum etiam quod tempore Illustrissimi D. PHILIPPI MARIE Ducis Mediolani proavi nostri honorabilissimi magistri intratarum extraordinariarum delegati per litteras Excell. Suae ad supplicationem Spectab. D. Oldradi senioris scriptas, debito coram eis agitato processu cum interuentuq; syndicorum communis Mediolani, ac Iudicis aquarum nec non Vicarij Prouisionum communis ipsius Mediolani habita relatione Architecti, siue ingenierij confidentis tunc electi, qui super locum dictæ Olonæ fuerat ad ordinand. & moderand. Ostia, siue buchellos aquar, quæ debebat extrahi ex flumine Olonæ pro irrigatione dictorum pratorum, iudicarunt, & sententiam suam tulerunt, confirmand. dicti ingenierij relationem ad vnguem. Nos ex Senatus nostri iudicio, ac cum consensu Illustrissimi D. Ludouici patris nostri optimi, duximus eorum precibus, & indemnitati prouidendum, moremque gerendum esse, sic etiam exigentibus eorum fratrum, maiorumque suorum meritis, quæ talia sunt, vt longè maiora à nobis promereantur. Nam, vt taceamus antiqua merita Spectab. illius D. Oldradi senioris Senatoris optimi erga Illustrissimos predecessores nostros, accedit, quod is Generosus Eques D. Oldradus iunior à puericia vsq; in Curia, & Aula nostra educatus, vt taceamus eius honestos, probatosque mores, egregiam indolem, ac in cunctis mansuetudinem, fidem quoque eximiam, & singularem deuotionem, fidelique obsequia erga nos præstita, atque assidue præstare non desinit. Insuper etiam Nicolaus ipsius D. Oldradi iunioris frater pariter Camerarius noster, mores, & fraterna vestigia imitans, singulari studio, fide, deuotione, omniq; diligentia in dies operam suam, grataque obsequia totis viribus, & neruis nobis præstare non cessat, neque vllum de se officium à nobis desiderari patitur, quæ omnia si à nobis diligenter considerentur, profecto merentur, vt eorum commodis, & beneficijs libentissimè faueamus itaque virtute, & ratione iurium dictorum fratrum, quæ super dicto flumine Olonæ habent, vt supra visorum, & examinatorum; Declaramus dictis fratribus pertinere, & spectare, ac competere ius, & actionem extrahendi aquam ex flumine

ne

ne Olonæ, singulis diebus, & horis pro irrigatione prædiorum, & pratorum suorum iuxta formam modulationum superinde factarum, & ad perpetuam rei memoriam, & ne vlllo vnquam futuro tempore controuersia, nec impedimentum aduersus dictos fratres ea in re fieri, vel excitari possit, ipsorum fratrum iura, prout iacent, comprobantes, & confirmantes declaramus, & decernimus ex certâ scientia præfatum D. Oldradû, & fratres in possessione aquæ Olonæ pro irrigandis pratis suis, in qua hæctenus fuerunt, seruari, & manuteneri debere absq; aliqua exceptione, contradictione vel molestia à quocunq; inferenda, & pariter sententias ea in re latas prout iacent, vnâ cum singulis in eis contentis, & reliqua eorum iura, quemadmodum hæctenus seruate, & seruata fuerunt in posterum quoq; seruari debere, ita, vt liberè, & pacificè iuxta solitum, vti, gaudere, & frui possint dicto aquæ Olonæ beneficio pro irrigatione pratorum suorum: Mandantes quibuscunq; officialibus, & præsertim dictæ Olonæ præsentibus, & futuris, & ad quoscunq; spectat, & spectabit quomodolibet in futurum vt has nostras declarationis litteras firmiter seruent, seruariq; faciant, tueanturq; & defendant, prædictos fratres ad possessionem dictæ aquæ Olonæ prout supra dictum est, si gratiam nostram caripendant; & hoc non obstantibus quibuscunq; contrarium facientibus. In quorum testimonium, præsentibus fieri iussimus, & registari, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xxij. Nouembris M. CCCC LXXXII. Signat. in angulo. Philippus Comitis. & cum sigillo &c. Ducali appenso cordulis sericeis albi, & violacei coloris incluso in capsula ex auricalco, quæ habet in parte anteriori sculpta insignia Ducalia cum his litteris, vlz. GALEAZ MARIA Dux Mediolani sextus.

*Concordat cum originali priuilegio Ducali in carta pergamenâ scripto existente penes subsignatum Secretarium ex ordine Excellentiss. Senatus Mediolani per occasionem obitus Egregie D. Lucretie Lampugnane, quo tempore Excellentiss. Senatus mandauit scripturas in eius hereditate relictas reponi, & penes ipsum Secretarium retineri, donec aliud fuisset ordinatum auditis partibus ius in dicta hereditate pretendentibus. Senatus*

Alex. Besutius ..

*Al. Besutius in copia autentica et legitime  
exhibita per me Alex. Besutius  
Secretarium Senatus Mediolani  
hunc Secretarium pro rebus*